DE POESI HEBRAEORUM

IN VETERI TESTAMENTO CONSERVATA

IN USUM SCHOLARUM

AUCTORE

V. ZAPLETAL, O. P.

.46
7

FRIBURGI HELVETIORUM

SUMPTIBUS BIBLIOPOLAE UNIVERSITATIS (O. GSCHWEND)

1909

hommage de l'auteu

DE POESI HEBRÆORUM

Opera eiusdem auctoris :

1. **Hermeneutica biblica.** 2. Edit. (Friburgi Helv., sumptibus O. Gschwend, bibliopolae Universitatis, 1908. X, 198 pag. Fr. 5.—.)

2. **Der Totemismus und die Religion Israels.** Ein Beitrag zur Religionswissenschaft und zur Erklärung des Alten Testamentes. (Freiburg, Schweiz, 1901. Universitäts-Buchhandlung, XIV, 176 S. Fr. 8.—.)

3. **Grammatica linguae hebraicae** cum exercitiis et glossario, studiis academicis accommodata. (Paderbornae, sumptibus Ferd. Schoeningh, 1902. VIII, 138 p. M. 2.80.)

4. **Der Schöpfungsbericht der Genesis** (1, 1—2, 3) mit Berücksichtigung der neuesten Entdeckungen und Forschungen erklärt. (Freiburg, Schweiz, Universitäts-Buchhandlung, 1902. VI, 104 S. Fr. 3.75.)

5. **Le Récit de la Création dans la Genèse.** Traduit de l'allemand par *P. Meyer-Boggio de Stadelhofen.* (Genève, Henry Kündig, et Paris, Félix Alcan 1904, p. XI et 158. Fr. 3.50.)

6. **Alttestamentliches** (Freiburg, Schweiz, Universitäts-Buchhandlung, 1903. VIII und 192 S. Fr. 5.—.)

7. **Die Metrik des Buches Ḳohelet** (Freiburg, Schweiz, Universitäts-Buchhandlung 1904. 20 S. Fr. —.75).

8. **Das Buch Ḳohelet** kritisch und metrisch untersucht, übersetzt und erklärt (Freiburg, Schweiz, Universitäts-Buchhandlung, 1905, X, 243 S. Fr. 10.—).

9. **Das Deboralied** erklärt (Freiburg, Schweiz, Universitäts-Buchhandlung, 1905, V, 52 S. Fr. 2.—).

10. קהלת. **Liber Ecclesiastae.** Textum hebraicum critice et metrice edidit V. Zapletal. (Halis Sax., R. Haupt, 1905, 27 p. M. 0.80.)

11. **Der Biblische Samson** (Freiburg, Schweiz, Universitäts-Buchhandlung, 1906, IV, 80 S. Fr. 2.50).

12. **Das Hohelied** kritisch und metrisch untersucht (Freiburg, Schweiz, Universitäts-Buchhandlung, 1907, VIII, 152 S. Fr. 5.—).

DE POESI HEBRAEORUM

IN VETERI TESTAMENTO CONSERVATA

IN USUM SCHOLARUM

AUCTORE

V. ZAPLETAL, O. P.



FRIBURGI HELVETIORUM

SUMPTIBUS BIBLIOPOLAE UNIVERSITATIS (O. GSCHWEND)

1909

Superiorum permissu.

I.

Usus poesis apud Hebraeos.

Poesim, quae non incongrue patrius omnium populorum sermo appellatur, apud veteres quoque Hebraeos locum praestantissimum occupasse, in qualibet fere pagina Veteris Testamenti deprehendimus.

1. Ea primo in *vita privata* frequenter adhibebatur. Cum proles numerosa tamquam benedictio divina consideraretur, parentes in nativitate filii laetantes, cantica pronunciabant, quibus gaudium suum exprimerent. Sic Anna, mater Samuelis, ob filium sibi a Deo datum hymnum pulcherrimum cecinisse fertur (1 Sam. 2, 1 ss.).

Tempore ablactationis parabantur festivitates (cf. Gen. 21, 8), quarum occasione, ut in omnibus festivitatibus hebraicis, cantica pronunciata fuisse, iure coniici potest. Idem probabiliter occasione circumcisionis fiebat.

Juvenes et virgines solebant canere et choros agere (Thr. 5, 14 s.). De muliere meretrice, quae iam amiserat pulchritudinem suam, canebatur canticum satiricum (Is. 23, 16):

25161

« Sume citharam, circui civitatem,
Meretrix oblivioni tradita ;
Psalle pulchre, multum cane [1],
Ut memoria tui sit. »

Quomodo amantium affectus versibus expressi fuerint, ex Cantico Canticorum concludere licet, in quo simul specimina continentur carminum breviorum et longiorum, quae tempore nuptiarum, communiter per septem dies protractarum, sive a singulis personis sive a choro canebantur. Iisdem in circumstantiis aenigmata poetice cum proposita tum soluta fuisse, nuptiarum Samsonis narratio (Judic. 14, 12 ss.) indicat.

Vindictam de inimico sumptam victor ut Lamech (Gen. 4, 23 s.) versibus celebrabat. Victori autem ex proelio redeunti mulieres et virgines obviam ibant, cantantes et choreas agentes et victorem laudantes ; cf. Ex. 15, 20 (Maria, soror Moysis), Judic. 11, 34 ss. (filia Jephtae), 1 Sam. 18, 6 s. (mulieres Saulem et Davidem celebrantes). Qui autem aut omnino neglexerunt pugnare, ubi id exposcebat bonum commune, aut non strenue dimicaverunt, ii acriter vituperabantur, ut ex cantico Deborae apparet (Judic. 5, 15-17).

In conviviis musicam et cantum non defuisse, plures textus indicant ; cf. Am. 6, 4 ss. ; Is. 5, 12 (« cithara et

[1] Cum in hoc opere de poesi Hebraeorum agatur, omnes textus allegantur iuxta codicem hebraicum, et ubi ex communi consensu exegetarum error adest, tacite emendatur. Consule opera mea : « Alttestamentliches », « Das Deboralied », « Die Metrik des Buches Ḳohelet », « Das Buch Ḳohelet », « Das Hohelied ». Quaedam alia opera huc spectantia brevi me editurum esse spero.

lyra et tympanum et tibia et vinum in conviviis vestris ») ; Job 21, 12. Cuius generis cantica interdum fuerint, docemur ex Sap. 2, 8 ss. :

« Coronemus nos rosis, antequam marcescant ;
Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra ;
Nemo nostrum exsors sit luxuriae nostrae.
Ubique relinquamus signa laetitiae,
Quoniam haec est pars nostra et haec est sors. »

Prototypum huius cantici reperimus apud Ecclesiasten 11, 9 ss :

« Laetare, iuvenis, in adolescentia tua,
Et delectetur cor tuum in diebus iuventutis tuae,
Et ambula in viis cordis tui
Et in iis, quae placent oculis tuis.

Et aufer maestitiam a corde tuo,
Et amove tristitiam a carne tua,
Antequam tenebrescat sol
Et lumen et luna et stellae :

Quando contremiscent custodes domus,
Et curvabuntur viri fortes,
Et otiosae erunt molentes, eo quod paucae erunt,
Et tenebrescent respicientes per fenestras.

Et claudentur portae versus plateam,
Et lenis erit strepitus molarum,
Et morietur clangor avis,
Et omnes filiae cantus leniter canent.

Antequam rumpatur funis argenteus,
Et frangatur aureum vas olei,
Et conteratur hydria ad fontem,
Et confringatur rota in cisterna. »

Praesertim in aula regis cantores et cantatrices deesse non poterant; quapropter Barsilai respondet Davidi invitanti eum, ut remaneret cum eo : « Numquid audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricum ? » (2 Sam. 19, 35). Et Ecclesiastes, ex persona Salomonis loquens, dicit sibi procurasse praeter multas res pretiosas etiam « cantores et cantatrices, delicias filiorum hominum » (Eccles 2, 8).

Nec aliae occasiones canendi Hebraeis deerant. Sic discedentes convivio refectos dimittebant « cum gaudio et canticis et tympanis et citharis » (Gen. 31, 27), et puteum excavantes canebant laetantes (cf. Num. 21, 18), quemadmodum hodiernis Arabibus consuetum est.

Inde concludere licet, inter Hebraeos fuisse peritos in arte sive cantica componendi, sive, oblata occasione, iam composita recitandi (cf. Jubal, qui fuit « pater canentium cithara et organo » Gen. 4, 21). Tales poetae probabiliter *mošelim* vocabantur (Num. 21, 27), et opera eorum *mašal*. Quia vero poetae illi satiras interdum edebant, infaustus reputabatur, qui talis carminis (mašal) argumentum erat (cf. Jer. 24, 9; Deut. 28, 37; Ez. 14, 8; Ps. 43, 15). Cum versus hebraicus saepissime duobus stichis constet, *mašal,* quod « dimidium » significat (cf. assyriacum *mišlu*), carmini nomen dare potuit.

Hebraeum, qui extremum vitae spiritum ederat,

elegiis plangebant. Propinqui et vicini, sacco induti, capite cinere asperso, defuncti feretrum circumstantes, tibiae sono comitante, mortui facinora celebrabant, mortuum deflebant. Inter huiusmodi nenias eminet illa celeberrima a Davide in mortem Saulis ac amicissimi Jonathan composita (2 Sam. 1, 19 ss.). Mulieres « lamentatrices » propheta Jeremias (9, 16) expresse commemorat.

In cultu idolatrico dei Hadad-Rimmon in civitate Megiddo (Zach. 12, 11) lamentationes commemorantur, quibus mortem huius dei deflebant eodem modo, quo Babylonii deum Tammuz plangebant, Phoenices Adonidem et Aegyptii Osiridem.

2. Verum poesis usus, intra limites vitae privatae haud inclusus, in *vita publica* frequens erat. Ex cantico Deborae (Judic. 5, 11) discimus, pastores, qui ad aquam greges ducebant, circum puteos collectos, celebrasse magnifica opera Jahwe et strenuorum ducum israeliticorum, qui Cananaeos devicerant. Immo totum canticum Deborae est carmen triumphale.

In libro Josue (10, 12 s.) conservatum est fragmentum cantici celebrantis victoriam Josue apud Gabaon :

« Sol in Gabaon sta,
Et luna in valle Ajalon ;
Et steterunt sol et luna,
Donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. »

Quod canticum dicitur ibi esse ex « libro Justorum » vel potius ex « libro Canticorum », cum pro הַיָּשָׁר legendum sit הַשִּׁיר. Ex eadem collectione deprompta dicitur

elegia Davidis super Saulem et Jonathanem (2 Sam. 1, 18), et secundum LXX (3 Reg. 8, 53) in eadem collectione (ἐν βιβλίῳ τῆς ᾠδῆς) inveniebatur benedictio templi a Salomone prolata (3 Reg. 8, 12 s.). Praeterea existebat alia collectio « Liber bellorum Domini », Num. 21, 14 allegata.

Verba, quibus Israelitae excitabantur ad pugnandum contra Amalecitas, conservata sunt Ex. 17, 16 :

« Manum ad vexillum Domini !
Quia bellum est Domino cum Amalek in aeternum. »

Vitam politicam spectant quaedam cantica, quibus rex celebratur, eique omnia fausta adprecantur. ut Ps. 20. :

2 « Exaudiat te Dominus in die tribulationis.
Protegat te nomen Dei Jacob ;
3 Mittat tibi auxilium de sanctuario
Et de Sion tueatur te !

4 Memor sit omnis sacrificii tui
Et holocaustum tuum tamquam pingue accipiat ;
5 Tribuat tibi secundum cor tuum
Et omne consilium tuum impleat !

6 Impleat Dominus omnes petitiones tuas,
7 Adiuvet unctum suum ;
Exaudiat eum de coelo sancto suo
Per mirifica opera dexterae suae. »

Et Ps. 45 :

« Eructat cor meum
  Carmen pulchrum,
Cano ego
  Canticum meum regi ;
Lingua mea est velox
  Ut calamus scribae.

Pulcherrimus es
  Omnium hominum,
Diffusa est gratia
  In labiis tuis,
Propterea benedixit te
  Deus in aeternum.

Accinge gladium tuum
  Super femur tuum, heros ;
In gloria tua et splendore tuo
  Prospere procede
Ad defendendam fidelitatem
  Et ad exaudiendam iustitiam.

. . . . . .

  Terribilis est dextera tua :
Sagittae tuae sunt acutae,
  Populi sunt sub te ;
Deficiunt animo
  Inimici regis » etc.

Ut singulas personas, ita civitates et regna ludibrio cantica exponunt ; Is. 23, 15 ss. Tyrus meretrici comparatur

oblivioni traditae, quae nunc artificiis attentionem ad se adtrahere debet.

Cf. etiam pulcherrimum *mašal* contra Babel Is. 14, 4 ss. :

4 « Quomodo cessavit exactor,
Cessavit furor !
5 Confregit Jahwe baculum impiorum,
Virgam dominantium,
6 Percutientem populos in ira
Percussione sine ulla intermissione,
Conculcantem populos in furore
Conculcatione sine miseria.
7 Quievit, respiravit omnis terra,
Gaudens exsultavit.
8 Ipsae cupressi laetantur de te
Et cedri Libani :
‚Ex quo decumbis, non ascendit,
Qui succidat nos‘ !

9 Šeol subter conturbata est
In occursum adventus tui,
Suscitat tibi umbras,
Omnes duces terrae,
Excitat ad surgendum e thronis suis
Omnes reges populorum.
10 Omnes intonant . . .
Et dicunt tibi :
‚Tu quoque attritus es sicut nos,
Nostri similis effectus es ?

11 Proiecta est in Šeol maiestas tua,
Strepitus citharārum tuarum ;
Sub te est stratum putredinis,
Et operimentum tuum sunt vermes !

12 Quomodo cecidisti de cœlo,
Lucifer, filius aurorae !
Quomodo corruisti in terram,
Domitor gentium !
13 Et tu dicebas in corde tuo :
‚In coelum conscendam,
Super astra Dei
Exaltabo thronum meum,
Sedebo in monte conventus,
In extremo aquilone ;
14 Ascendam super altitudinem nubium,
Similis ero Altissimo‘ !
15 Quomodo in Šeol proiectus es,
In infimum locum !

16 Qui te vident, ad te inclinant se,
Ad te oculos coniiciunt :
Numquid iste est vir, qui conturbabat terram,
Qui concutiebat regna,
17 Qui orbem faciebat desertum,
Et civitates eius destruebat,
Vinctis suis non aperiebat carcerem,
18 Omnibus regibus gentium ?
Omnes ii dormiunt in gloria,
Vir in domo sua.

19 Tu autem proiectus es inter occisos,
Inter eos, qui interfecti sunt gladio,
Descendis in imum locum,
Quasi cadaver obtritum. »

Imprimis autem benedictiones et maledictiones tribuum et nationum poetice componebantur, idque partim eo fine, ut memoria facilius eas conservaret. Vide ex. gr. benedictionem Jacobi Gen. 49 et Balaami oracula Num. 23 et 24.

Ut defuncti cantu funebri, ita regna destructa et civitates devastatae planctu commemorantur ; cf. ex. gr. elegiam de Moab Is. 15 et 16 :

15, 1 « Eheu, nocte devicta est,
Destructa est Ar Moab ;
Eheu, nocte devicta est,
Destructa est Qir Moab !

2 Ascendit filia Dibon
Ad excelsa, ut fleat ;
Super Nebo et super Madaba
Ululat Moab.

Super cuncta capita eius calvities,
Omnis barba est rasa ;
3 In triviis eius accincti sunt sacco,
Super tecta eius est ululatus.

Et in plateis eius omnes ululant,
Complentur fletu ;
4 Clamat Chešbon et Eleale,
Usque ad Jachaz auditur vox eorum.

Renes Moab moventur,
Anima eius movetur ;
Cor Moab clamat,
Fugitivi eius sunt (iam) in Ṣo'ar.

Eheu, ascensum Hal-luchit
Flentes ascendunt ;
Eheu, in via Choronaim
Clamorem ob exitium levant.

Eheu, aquae Nemrim in desertum versae sunt,
Quia aruit herba » etc.

3. Frequentissimus autem usus poeseos fuit in *cultu religioso* : Hebraei enim non spernebant versus in cultu divino ut Muhamedus, cui omnis poeta invisus, omne carmen exosum erat, sed pulcherrimis canticis qualibet occasione Deum laudabant et gratiam eius exoptabant.

Quando antiquis temporibus elevabatur arca, ut Israelitas in bellum duceret, canebant (Num. 10, 35) :

« Surge, Domine,
Ut dissipentur inimici tui,
Et fugiant adversarii tui. »

Si in cultu vituli aurei cantica audiebantur (Ex. 32, 18) et in cultu, quem propheta Amos reprobat (Am. 5, 23), eo potius resonabat cantus in cultu vero. Inde illi hymni frequentes in libro Psalmorum, illae gratiarum actiones, preces publicae et privatae, lamentationes populi et singularum personarum.

Sic majestas Dei in coelo apparens pulchre descripta invenitur in Ps. 19, 2-7 :

2 « Coeli enarrant gloriam Dei,
Et opera manuum eius annuntiat firmamentum :
3 Dies diei eructat verbum,
Et nox nocti indicat scientiam.

5 In omnem terram exit vox eorum
Et in fines orbis verba eorum.
Soli posuit tabernaculum in eis
. . . . . .

6 Et is tamquam sponsus procedens de thalamo suo
Exultat ut gigas ad currendam viam.
7 A fine coeli egressio eius,
Et circuitus eius usque ad finem eius. »

Maiestatem Domini in procella magnifice describit Ps. 29, creationem Ps. 104, misericordiam Dei Ps. 103.

Ex illis Psalmis, in quibus Psalmista confidentiam in Deum exprimit, sufficiat allegare Ps. 23 :

1 Jahwe est pastor meus, nihil mihi deest ;
2 In pascuo viridi collocat me ;
Ad aquas refectionis ducit me,
3 Animam meam recreat.

Ducit me per semitas rectas,
Propter nomen suum ;
4 Et si ambulo in valle umbrae mortis.
Non timeo malum.

. . . . . .

Quoniam tu mecum es,
Virga tua et baculus tuus
Consolantur me.

5 Tu paras mihi mensam
Coram adversariis meis ;
Oleo unxisti caput meum,
Calix meus est superabundans.

6 Nonnisi felicitas et gratia sequuntur me
Omnibus diebus vitae meae ;
Et habitabo in domo Jahwe
Multis diebus. »

At in egestate, in miseria constitutus aut ab hostibus pressus Israelita orat ad Deum, ut eum liberet, ut in Ps. 7 :

2 « Jahwe, Deus meus, in te confido,
Salva me a persequente me,
3 Ne ut leo rapiat animam meam,
Quin adsit redemptor et liberator.

4 Jahwe, Deus meus, si feci istud,
Si est iniquitas in manibus meis,
5 Si malum feci ei, qui pacifice vivebat mecum,
Et si oppressi eum, qui absque causa mihi inimicus est :

6 Tunc persequatur inimicus me
Et comprehendat animam meam
Et conculcet in terra vitam meam
Et gloriam meam in pulverem deducat ! » etc.

Quia poesis tam familiaris erat Israelitis, etiam prophetae orationes suas metrice componebant, ita ut in eorum scriptis habeamus admirabiles flores poesis hebraicae.

Versibus increpant nationem suam, ut ex. gr. Is. 1, 2 ss. :

2 « Audite cœli,
Et auribus percipe terra,
Quoniam Dominus locutus est :

3 Cognovit bos et asinus
Praesepe Domini sui,
Israel autem non cognovit possessorem suum,
Populus meus non est tam intelligens.

4 Vae vulgo nequissimo,
Populo gravi iniquitate,
Semini malefico,
Filiis sceleratis !

5 Super quo percuti vultis adhuc,
Quia augetis defectionem ?
Totum caput graviter aegrotum est,
Et totum cor est morbidum.

6 A planta pedis usque ad verticem
Est nonnisi vulnus et livor,
Et plaga recens
Non delinitur oleo.

7 Terra vestra devastata est,
Civitates vestrae succensae sunt igne ;

Agros vestros coram nobis
Alieni devorant !

8 Et derelicta est filia Sion,
Ut umbraculum in vinea,
Ut tugurium in cucumerario,
Ut turris custodiae.

9 Nisi Dominus exercituum
Reliquisset nobis residuum,
Sicut Sodoma essemus,
Gomorrhae similes essemus.

10 Audite verbum Domini,
Principes Sodomorum,
Auribus percipite legem Dei nostri,
Populus Gomorrhae !

11 Quo mihi multitudo sacrificiorum vestrorum ?
Dicit Dominus.
. . . . . .
. . . . . .

Satiatus sum holocaustis arietum
Et adipe vitulorum,
Et sanguis iuvencorum et hircorum
Displicet mihi.

12 Ut veniretis videre faciem meam,
Conculcare atria mea,
Quis quaesivit id de manibus vestris ?
13 Nolite (amplius) venire !

Oblatio inanis est incensum,
Abominatio est mihi !
Neomeniam et sabbatum et coetus sacros
Nolo.

Jeiunium et festivitates 14 et solemnitates vestras
Odio habet anima mea,
Sunt mihi oneri,
Defatigatus sum ferendo ea.

15 Et cum extenditis palmas vestras,
Velo oculos meos ;
Etiam si multiplicatis orationem,
Non audio.

Manus vestrae sanguine plenae sunt,
16 Lavamini, mundi estote ;
Auferte malum actionum vestrarum
Ab oculis meis. »

Quia huiusmodi sermones duri displicebant auditoribus, aliquando propheta, ut cogat eos ad audiendum, citharoedi personam suscipit et oratione speciem carminis idyllici gerente verberat contribules suos (Is. 5, 1 ss.) :

1 « Cantabo de dilecto meo,
Canticum de vinea eius :

Vinea fuit dilecto meo
In colle fertili,
2 Et fodit eam et lapides amovit ex ea
Et plantavit in ea vites generosissimas.

Et aedificavit turrim in medio eius
Et etiam torcular excidit in ea,
Et expectabat, quod faciet uvas,
Fecit autem labruscas.

3 Nunc ergo habitatores Jerusalem
Et vir Juda,
Judicate, quaeso, inter me
Et inter vineam meam.

4 Quid est, quod debui ultra facere vineae meae
Et non feci in ea ?
Expectavi, quod faciet uvas
Et fecit — labruscas.

5 Et nunc ostendam vobis,
Quid ego faciam :
Vineae meae — auferam saepem eius,
Et erit in depastionem ;

Vineae meae diruam maceriam eius
Et erit in conculcationem,
6 Et faciam eam excisum,
Et non amputabitur.

Et ascendent vepres et spinae,
Et non fodietur ;
Et nubibus mandabo,
Ne pluant super eam.

7 Quia vinea Domini exercituum
Domus Israel est,

Et vir Juda . . . .
Plantatio eius deliciosa.

Et exspectavit, quod faciet iudicium,
Et ecce : iniquitas !
Et exspectavit, quod faciet iustitiam,
Et ecce : clamor ! »

Specialem mentionem merentur vaticinia messiana, in libris Prophetarum, in Psalterio et in ipsis libris historicis frequenter occurrentia. Legas ex. gr. Is. 11. 1 ss.

1 « Et egredietur surculus e trunco Isai
Et propago ex radicibus eius ascendet.
2 Et requiescet super eum spiritus Domini,
Spiritus sapientiae et intellectus,
Spiritus consilii et fortitudinis,
Spiritus scientiae et timoris Domini.

3 Non secundum visionem oculorum iudicabit
Neque secundum auditum aurium arguet ;
4 Sed iudicabit in iustitia pauperes
Et arguet in aequitate humiles
Et percutiet homines saevos virga oris sui
Et spiritu labiorum suorum interficiet impios.

5 Et erit iustitia cingulum lumborum eius
Et fidelitas cinctorium renum eius :
6 Et habitabit lupus cum agno,
Et pardus cum hoedo cubabit ;
Et vitulus et leo pascentur simul,
Et puer parvulus minabit eos.

7 Et vacca et ursus erunt amici,
Simul cubabunt catuli eorum,
Et leo quasi bos comedet paleam,
8 Et delectabitur lactens super foramine aspidis,
Et in nidum viperae
Ablactatus manum suam mittet. »

In operibus didacticis, ut in Proverbiorum libro, in Ecclesiaste, Ecclesiastico, auctores doctrinam suam metrice proponunt. Poetica forma involvunt praecepta respicientia vitam privatam et publicam, poetice vel magis pingere conantur arcana sapientiae religiosae, divinae. Cf. ex. gr. Ecclum 31, 12 (Vulg.) :

« Si ades convivio divitis,
Ne aperias super mensam faucem tuam
Neve dicas : Quam multa super eam sunt ! »
21 « Si in medio multorum sedes,
Prior illis ne extendas manum tuam. »
25 « Et si nimis multum comedisti,
Surge e medio, ambula, et iterum bene valebis. »
32, 6 « Ubi musica est audienda, ne effundas sermonem ».

Compara etiam Ecclen 10, 20 :

« Neque in cogitatione tua
Maledicas regi,
Neque in secreto cubiculi tui
Maledicas diviti :
Quia aves coeli
sermonem tuum efferre,
Et volatilia
Verba tua manifestare possunt. »

Verum legas etiam laudem Sapientiae Prov. 8, 22 ss. :

22 « Jahwe formavit me ut initium viarum suarum
tamquam primum opus suum, antiquitus :
23 Ab aeterno ordinata sum,
Ab initio, antequam terra fieret.

24 Nondum erant fontes aqua pleni,
Necdum abyssi, et ego iam concepta eram ;
25 Antequam montes essent fundati,
Ante colles — ego concepta eram.

26 Cum terram nondum fecerat
et primas glebas orbis,
Quando firmamentum mensurabat super abyssos,
Quando coelos parabat, aderam.

28 Quando firmabat nubes supra
Et librabat fontes abyssi,
29 Quando ponebat mari terminum eius,
Quando appendebat fundamenta terrae :

30 Fui ad latus eius artifex eius,
Et deliciae eius per singulos dies,
Ludens coram eo omni tempore,
31 Ludens in eius orbe terrarum. »

Immo in ipsis libris historicis, ubi oratio directa refertur. versus adhiberi solent, uti ex. gr. ex libro Judicum accuratae analysi submisso perspicuum est. Confer

Jud. 1, 1 (2 + 2 + 2) :

« Quis ascendet nobis,
Contra Cananaeum primus
Ad pugnandum contra eum ? »

1, 2 (2 + 2 + 2) :

« Judas ascendet ;
Ecce trado
Terram in manum eius. »

1, 12 (2 + 2) :

« Qui percusserit Qiriat-Sefer,
Et ceperit eam,
Dabo ei Aksam,
Filiam meam, uxorem. »

2. 1 ss. (3 + 3) :

« Eduxi vos ex Aegypto
Et introduxi vos in terram,
Pro qua iuravi patribus vestris dicens :
Non faciam irritum pactum meum in aeternum. »

Vos autem non inibitis foedus
Cum habitatoribus terrae huius,
Et aras eorum subvertetis ;
Sed noluistis audire vocem meam.

Quam ob rem dico vobis :
Non delebo eos a facie vestra,
Ut sint vobis adversarii
Et dii eorum sint in vestram ruinam. »

Cf. etiam 2, 20 ss. ; 3, 19. 20 ; 4, 6 ; 6, 12. 29. 36 ss. ; 7, 2 s. ; 8, 22 ss. ; 9, 7 ss. et ita porro.

Quae cum ita sint, absque ullo dubio maximi momenti est cognitas habere leges, quibus regitur versus hebraicus.

II.

Leges metricae Hebraeorum.

1. Quaerentibus de legibus poesis Hebraeorum prius respondebatur, carmina eorum non alio rhythmo quam parallelismo membrorum construi, quo scilicet sententia non simpliciter enuntiatur, sed in suas partes ita dividitur, ut singula eius membra aequali modo sibi respondeant. Estque ille parallelismus triplex : synonymus, antitheticus et syntheticus.

a) Synonymus vocatur, si in altero membro aliis verbis eadem sententia exprimitur, quae in primo membro invenitur, ut Gen. 4, 23 :

« Adda et Sella, audite vocem meam,
Uxores Lamech, auscultate sermonem meum. »

b) Antitheticus vocatur, si membrum membro opponitur, ut Prov. 10, 1 :

« Filius sapiens laetificat patrem,
Filius vero stultus moestitia est matris suae. »

c) Syntheticus est, si alterum membrum neque idem neque oppositum eius continet, quod in primo invenitur, sed aliquid novi, quod ut continuatio, evolutio, comparatio aut ut completio primi membri concipi potest, ut Ps. 3, 5 :

« Voce mea ad Dominum clamavi,
Et exaudivit me de monte sancto suo. »

Aut Prov. 27, 8 :

« Sicut avis transmigrans de nido suo,
Sic vir, qui dereliquit locum suum. »

2. Nunc autem constat, praeter hunc parallelismum membrorum, quem carmina hebraica communem habent cum poesi Aegyptiorum et Babyloniorum, dari etiam aliam legem, qua rhythmus poesis Hebraeorum regitur, scilicet *metrum in naturali (grammatico) vocum accentu fundatum*[1]. Et quidem

a) accentus nativus vocis per se stantis fit simpliciter accentus poeticus, ut in illa invitatione ad audiendum, quam Jud. 5, 3 legimus :

שִׁמְעוּ מְלָכִים — הַאֲזִינוּ רוֹזְנִים
אָנֹכִי לַיהוָה — אָנֹכִי אָשִׁירָה
אֲזַמֵּר לַיהוָה — אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל :

[1] Inde syllaba accentu instructa non ita semper alternare debet cum syllaba accentu carente, ut nonnisi iambi vel trochaei oriantur ; numerus enim syllabarum accentu carentium inter duas accentuatas variare potest ; communiter tamen non plus quam quatuor syllabae accentu carentes inveniuntur. (Quinque syllabae accentu carentes rarissimae sunt ; reperi tamen aliquot exempla ut Jud. 5, 17 in בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן ; Cant. 3, 4 in עַד שֶׁמְּצָאתִי אֵת שֶׁאָהֲבָה ; Cant. 3, 11 in אִמּוֹ בְּיוֹם חֲתֻנָּתוֹ ; Cant. 7, 2 in חֲמוּקֵי יְרֵכַיִךְ כְּמוֹ חֲלָאִים). Simili modo igitur res se habet ac in poesi plurium aliorum populorum, praeprimis Germanorum, quae usque ad medium aevum versus tantum « accentuantes » continebat ea ratione, quod numero syllabarum accentu distinctarum determinato, ceterarum varius numerus esse potuit.

b) Si vox est longior, non solum accentus eius primarius fit accentus poeticus, sed etiam accentus secundarius; sic עִקְלְקַלּוֹת in Jud. 5, 6 (אֹרְחוֹת עֲקַלְקַלּוֹת); בְּפַלְגוֹת Jud. 5, 15 et 16 (בִּבְלַגּוֹת רְאוּבֵן); בִּיבִלְיֹתָם Jud. 5, 20; וַחֲנִיתוֹתֵיהֶם Is. 2, 4; לְגַרְגְּרוֹתָיִךְ Prov. 1, 9, et 3, 22; בִּמְעָגְלוֹתָם Prov. 1, 31; יְכַמְּטְמְנִים Prov. 2, 4; וּמִפְעָצוֹתֵיהֶם Prov. 2, 18; עַל־נַרְגְּרוֹתָיִךְ Prov. 3. 3; לְעַצְבְּיוֹתָיִךְ Prov. 3, 8.

c) In vocum complexibus, unum conceptum formantibus, prima vox solet absque accentu pronunciari, si syllabarum numerus non est magnus. Generalem hanc regulam linguae hebraicae esse, iam ex eo videmus, quod in tali casu Masoretae signo Maqqef primae voci postposito accentum ab illa amovendum significant. Hoc evenit

α) Quando prima vox est in statu constructo, et altera naturaliter in prima syllaba accentuatur, ut כִּבְסַה־רֹגֶל Is. 1, 6; שִׂרְפוֹת אֵשׁ Is. 1, 7; לְרֹאשׁ גֶּבֶר Jud. 5, 30; עַמּוּדֵי שֵׁשׁ Cant. 5, 15; טִירַת כָּסֶף Cant. 8, 9; לִיחַ אָרֶץ Cant. 8, 9. Idem tamen tunc quoque occurrit, cum secunda vox accentum habet in alia syllaba quam in prima, ut בְּבֵית־רָשָׁע Prov. 3, 33; בְּיוֹם־חֻתָּנָתוֹ Cant. 3, 11; גִּילוּ בְקֶרֶב הָאָרֶץ Is. 7, 22; זָהָב Cant. 5, 14.

β) Quando prima vox est verbum, et sequitur complementum in prima syllaba accentuatum: יְיַשְּׁרוּ־בָם Is. 3, 4; תָּשִׁיב לָהּ Jud. 5, 29; נְחַרוּ־בִי Cant. 1, 6; הַגִּידָה־לִּי Cant. 1, 7; נַעֲשֶׂה־לָּךְ Cant. 1, 11; נָתְנוּ רֵיחַ Cant. 2, 13 et 7, 14; אֶחֱזוּ־לָנוּ Cant. 2, 15; עָשָׂה כֶּסֶף Cant. 3, 10; פִּתְחוּ־לִי Cant. 5, 2; שֶׁיִּדַבַּר־בָּהּ Cant. 8, 8; וַיִּסַּד לֻקַּח Prov. 1, 5; יָסַד אָרֶץ Prov. 3, 19.

γ) In aliis vocum complexibus, ut in יֵשׁ אִתָּךְ Prov. 3, 28 ; וְהוּא־יוֹשֵׁב Prov. 3, 29 ; גּוֹי אֶל־גּוֹי Is. 2, 4 ; בַּיּוֹם הַהוּא Is. 4, 2 ; וְלִבִּי עֵר Cant. 5, 2 ; מוֹר עֹבֵר Cant. 5, 13 ; וָפֶה אַתְּ Cant. 6, 4 ; כּוֹס אֶחָד Prov. 1, 14 ; וְסוּר מֵרָע Prov. 3, 7 ; לְאֵל יָדְךָ Prov. 3, 27 ; לֵךְ וָשׁוּב Prov. 3, 28 ; זֶה אֵל־זֶה Is. 6, 3.

Cum Masoretae in ponendo Maqqef constantes non fuerint, neque omnes voces signo Maqqef destitutae cum accentu, neque omnes voces eo ornatae absque accentu legendae sunt.

d) Quia stichus hebraicus suavius legitur, si inter duas syllabas accentuatas saltem una absque accentu legitur, poetae hebraici utebantur quibusdam licentiis poeticis, quarum tres classes inveniuntur :

α) Accentus regressivus, cuius notitiam etiam Masoretae et grammatici hebraici habebant [1]. Consistit in eo, quod vox accentuatur in syllaba praecedente eam, quae communiter accentuari solet ; cf. exempla : וְאָבִיר לִי Cant. 2, 10 ; לְהַלְכִּי תָּם Prov. 2, 7 ; וְנִשָּׂא Is. 2, 2 ; יִתְפֹּשׂ Is. 3, 6 ; שַׂפְטוּ־נָא Is. 5, 3 ; וְנָשָׂא גַּם Is. 11, 12.

β) Segolatorum accentus cadit interdum in syllabam, quae vocalem auxiliarem fert ; cf. בְּטַח Prov. 1, 33 ; דַּעַת Prov. 2, 6 et Eccles 1, 18 ; יִשַּׁר Prov. 2, 13 ; חֶשְׁךְ Prov. 2, 13 ; עִשֵּׁר Prov. 3, 16 ; נֹעַם Prov. 3, 17 ; חֶרֶב Is. 2, 4.

[1] Cf. Franz Praetorius, Über den rückwirkenden Accent im Hebräischen. Halle 1897.

γ) Syllaba longa aliquando (sed valde raro) ut longa et brevis legebatur, ut אֵין לֹה (éᵉn láh) Is. 1, 30 ; חַשׁ בָּז (cháᵃš báz) Is. 8, 1 ; אֵין קֵץ (éᵉn qéṣ) Eccles 12, 12. Si non ita Hebraei legebant, saltem, pronunciata tali syllaba, brevem pausam faciebant.

e) Difficultas existit quoad particulas quasdam breviores, uti sunt praepositiones, coniunctiones. adverbia, pronomina, negationes, de quibus interdum dubitare licet, utrum accentu praeditae sint, an absque accentu legi debeant.

α) Accentu extolluntur communiter eae particulae, etsi monosyllabae, quae natura sua emphaticae sunt, ut אוֹי (vae) Is. 3, 11 ; אֵיךְ (quomodo, vae) Is. 14, 12 ; אֵיכָה (quomodo) Is. 1, 21 ; הוֹי (vae) Is. 5, 8. 11 ; הֲלוֹא (numquid non?) Is. 8, 19 ; 10, 8. 9 ; הִנֵּה (ecce) Cant. 3, 7 : קוֹל (audi) Is. 13, 4.

β) Interdum adhibentur a poeta ut accentuatae quaedam particulae, quae id vi sua non sunt, sed solum ideo, quia auctor ipse cum emphasi eas enuntiat, ut אָז (tunc) Ps. 19, 15 ; אֵין Eccles. 12, 12 ; אַל (ne) ; וְאַל (et ne) Prov. 3, 11 ; יַחְדָּו (unā) Is. 11, 7 : יַעַן (quia) Prov. 1, 24 : כִּי (vae, eheu) Is. 15, 5 ; כִּמְעָט (fere) Is. 1, 9 ; Cant. 3, 4 ; כֵּן (sic) Is. 14, 24 ; לֹא (non) Is. 1, 13 ; לוּלֵי (nisi) Is. 1, 9 ; לָכֵן (ideo) Is. 1, 24 ; לְמַעַן (ut) Is. 5, 18 ; מִבְּלִי (absque) Is. 6, 11 ; מִי (quis?) Cant. 8, 1 ; Eccles 8. 1 ; מָה (quid?) Cant. 7, 2 ; Is. 5, 4 ; עוֹד (adhuc) Is. 10, 32 ; שָׁם (ibi) Cant. 7, 13.

γ) Communiter absque accentu adhibentur : אוֹ (aut) ut Cant. 2, 9. 17 ; 7, 11 ; אָז (tunc) Cant. 8, 10 ; Prov. 1, 5. 28 ; 2, 9 ; 3, 23 ; אֵין (non) Cant. 6, 8 ; לֹא (non) ;

אַל (ne) Cant. 1, 6 ; 7, 3 ; Prov. 1, 15 ; 3, 1 ; אֶל (ad) Cant. 6, 11 ; אִם (si) Jud. 5, 8 ; Prov. 2, 1 ; pronomen relativum אֲשֶׁר et שֶׁ ; nota accusativi אֵת (אֶת־) ; בֵּין (inter) Jud. 5, 11 ; Cant. 1, 13 ; בִּלְתִּי (sine) Is. 14, 6 ; בְּעֵבֶר (trans) Jud. 5, 17 ; בְּעַד (per) Jud. 5, 28 ; גַּם־ (etiam) Prov. 1, 26 ; copula וְ ; כִּי (quia) ; כֹּל (omnis) ; מִן (ab, ex) Jud. 5, 20 ; Cant. 2, 9 ; מִנִּי Jud. 5, 14 ; מִפְּנֵי (coram) Jud. 5, 5 ; Is. 7, 2 ; עַל (super) Jud. 5, 19 ; Cant. 1, 7. 8 ; 2, 8 ; 3, 1 ; 5, 12 ; עִם (cum) Cant. 1, 11 ; 4, 13. 14 ; פְּנֵי Cant. 7, 5 ; רַק (tantum) Is. 4, 1 ; saepe תַּחַת (sub) Is. 3, 6.

δ) Accentum vero habent huiusmodi particulae saepe, si duae vel tres coniunguntur, idque praesertim tunc, si vox eas sequens non fert accentum in prima syllaba ; interdum accentuatur etiam copula וּ, יְ et וְ, si plures syllabae absque accentu sequuntur ; cf. אִם־לֹא Prov, 3, 30 ; Is. 5, 9 ; 10, 9 ; אֵת אֲשֶׁר Is. 5, 5 ; וּבֵין Is. 5, 3 ; בְּכֹל Prov. 3, 6 ; Is. 12, 5 ; וְכֹל Is. 7, 25 ; גַּם כִּי Is. 1, 15 ; וּמֻחֲרוֹץ Prov. 3, 14 (ubi tamen יְמֻחֲרוֹץ legi potest) ; יְאֻשִּׁיתֶהָ Is. 5, 6 ; וְאֶמוּנָתְךָ Ps. 92, 3 ; וְאֵין Is. 5, 27. 29 ; 14, 31 ; וְאַל Prov. 3, 11 ; וְאֶל Is. 8, 19 ; Prov. 3, 5 ; וְאֶת־ Prov. 3, 32 ; Is. 10, 2 ; וְלֹא Prov. 1, 28 ; Is. 2, 4 ; 7. 7 ; 8, 10 ; וְעַל Jud. 5, 17 ; Is. 5, 6 ; 11, 8 ; מֵעַל Is. 7, 17 ; כִּי אִם Prov. 2, 3 ; Is. 10, 20 ; מֵאָז Is. 14, 8 ; עַל־מִי Is. 10, 3 ; מִמַּעַל Is. 14, 12 ; עַד שֶׁ Cant. 4, 6 : עַד אֲשֶׁר Eccles 2, 3 ; עַל־כֵּן Is. 13, 7. 13 ; 16, 9 ; כִּי עַל־כֹּל Is. 4, 5 ; וְתַחַת Is. 10, 16 ; תַּחַת כִּי Prov. 1, 29.

f) Non est improbabile, quaedam suffixa pronominis antiquitus aliter sonasse, formasque hodierni textus hebraici a Masoretis provenire; saltem transscriptiones graecae quarundam vocum hebraicarum pleniores referunt formas[1], ut אֶרְחֵךְ Ps. 44, 14 in Hexaplis αραχ transscribitur, הֵיכָלֵךְ Ps. 48, 10 ηχαλαχ, בָּךְ Is. 26, 3 βαχ, לָךְ Ps. 110, 3 λακ, אֱלֹהַיִךְ Mich. 6, 8 ελωαιχ et ita porro. Ita probabiliter formae ut יָדֵךְ et pausalis יָדֵךְ legendae sunt יָדֵךְ vel יָדֵךְ (fem. יָדֵךְ), ita ut in Cantico Deborae (Jud. 5, 4) punctuandum esset :

יְהוָה בְּצֵאתְךָ מִשֵּׂעִיר בְּצַעְדְךָ מִשְּׂדֵה אֱדוֹם

quo versus lenius currit. Ita etiam pro אָחִיךָ (Gen. 27, 40) legendum videtur[2] אָחִיךְ, pro אָחִיךָ (Gen. 27, 29) אָחִיךְ, pro יַעַבְדוּךָ (Gen. 27, 29) יַעַבְדוּךְ.

III.

Schemata metri hebraici.

Versus hebraicus constat duobus vel tribus stichis. Stichus habet duos, tres aut quatuor accentus. Unicus stichus raro occurrit, idque solum in directis orationibus metrice conscriptis, quae in partibus historicis Veteris

[1] Cf. hac de re E. Sievers, Metrische Studien I. 1. (Leipzig 1901) pag. 324 ss.

[2] Quia versus hebraici legi possunt, quin haec regula observetur, in textibus a me allegatis vocalisatio Masoretarum conservatur. Fateor tamen, regulam proprie observandam esse.

Testamenti reperiuntur. Sic Jud. 15, 6 dicunt Philisthaei מִי עָשָׂה זֹאת (2); ibidem v. 10 quaerunt Judaei לָמָּה עֲלִיתֶם עָלֵינוּ (3); et Jud. 16, 2. 12. 20 Dalila clamat: פְּלִשְׁתִּים עָלַיִךְ שִׁמְשׁוֹן (3).

Alibi stichi coniunguntur in disticha et tristicha, quae proprie correspondent ei, quod nos versus appellare solemus. Et quidem coniunctio fit secundum schemata 2 + 2; 3 + 2; 3 + 3; 4 + 4 (raro); 2 + 2 + 2; 3 + 3 + 3. Exempla:

2 + 2 (Eccles 1, 2):

הֲבֵל הֲבָלִים אָמַר קֹהֶלֶת

3 + 2 (Is. 1, 24):

כֻּלּוֹ אֹהֵב שֹׁחַד וְרֹדֵף שַׁלְמֹנִים

3 + 3 (Is. 3, 13):

נִצָּב לָרִיב יְהוָה וְעֹמֵד לָדִין עַמּוֹ

4 + 4 (Is. 5, 24):

כִּי מָאֲסוּ אֶת תּוֹרַת יְהוָה צְבָאוֹת

וְאֶת אִמְרַת קְדוֹשׁ־יִשְׂרָאֵל נִאֲצוּ:

2 + 2 + 2 (Is. 4, 2):

בַּיּוֹם הַהוּא יִהְיֶה צֶמַח יְהוָה לְצֶבִי וּלְכָבוֹד

3 + 3 + 3 (Jud. 9, 13):

הֶהֱדַרְתִּי אֶת־תִּירוֹשִׁי הַמְשַׂמֵּחַ אֱלֹהִים וַאֲנָשִׁים

יְהָלַכְתִּי לָנוּעַ עַל־הָעֵצִים

Haec schemata poetae hebraici tam sedulo observant, ut unum poema uno eodemque schemate construatur, ea quidem vi, ut ex metro dignoscere possimus, sitne textus hebraicus carminis bene conservatus.

Exceptiones tamen sunt :

a) Invitatio ad audiendum carmen, cum nondum sit carmen ipsum, potest habere aliud metrum. Sic in cantico Deborae invitatio haec scripta est metro 2 + 2. etsi canticum totum constet metro 3 + 3. Is. 1, 2 invitatio est iuxta 2 + 2 + 2, reliqua 3 + 2.

b) Dictio proverbialis sub proprio metro, licet a cantici cui inseritur metro discordanti, allegatur. Sic. Is. 1, 23 proverbiale שָׂרַיִךְ סֹרְרִים (2) «principes tui sunt latrones» conservatur loco stichi 3 accentuum (metrum est ibi 3 + 2 : sed dictio haec ponitur ut primus stichus !). Similiter apud Ecclesiasten 4, 12 invenimus proverbiale dictum «et funiculus triplex difficile rumpitur»

וְהַחוּט הַמְשֻׁלָּשׁ לֹא בִמְהֵרָה יִנָּתֵק :

quod 2 + 2 accentus habet inter schema 3 + 3.

c) Idem multo magis obtinet, si allegatur in uno cantico aliud canticum vel verba alterius. Sic in Cantico Canticorum 2, 8-14 habemus carmen 2 + 2 accentuum ; sed inducitur ibi (v. 11-13 b) sponsus canens speciale carmen, quod habet metrum 3 + 2 et sonat :

11 כִּי־הִנֵּה הַסְּתָו עָבָר הַגֶּשֶׁם חָלַף
12 הַנְּצָנִים נִרְאוּ בָאָרֶץ עֵת הַזָּמִיר הִגִּיעַ

קוֹל הַתּוֹר נִשְׁמַע סְמַדַּר בְּאַרְצֵנוּ :
13 הַתְּאֵנָה חָנְטָה פַגֶּיהָ וְהַגְּפָנִים נָתְנוּ רֵיחַ

Similiter propheta Isaias in suo oraculo 9, 7-20, quod est compositum metro 3 + 3, refert sermonem Israelitarum iuxta schema 2 + 2 ordinatum, scilicet :

לְבֵנִים נָפָלוּ וְגָזִית נִבְנֶה
שִׁקְמִים גָּדָעוּ וְאֲרָזִים נְחַלִּיף :

Immo Isaias, antequam metrum initiale denuo resumat, ipse v. 10-11 eodem metro 2 + 2 utitur et nonnisi postea ad 3 + 3 redit.

Aliud exemplum huius rei habemus apud Ecclesiasten 11, 9 ss., ubi refertur illud canticum supra (p. 7 s.) allegatum de utendis rebus huius mundi, antequam mors veniat. Canticum est compositum metro 3 + 3, cum e contra adnotationes ad illud habeant schema 2 + 2.

d) Alia exceptio habetur, quum metrum 2 + 2 contrahitur ad 4, ex. gr. Jud. 9, 2.

e) In reflexionibus, ut eas legimus apud Ecclesiasten, cum non sint carmen proprie dictum, sed intermedium quid inter prosam et poesim, disticha 3 + 2 inseruntur distichis 3 + 3, et praeterea schema 2 + 2 coniungitur interdum cum 2 + 2 + 2.

IV.

Strophae.

1. Strophas constantes aequali numero distichorum vel tristichorum in poesi Hebraeorum adesse, negari non potest. Inveniuntur enim disticha et tristicha, quae idem

observant schema ac, dum argumento sibi cohaerent, a praecedentibus et sequentibus separantur. Persaepe duo disticha vel tristicha stropham efficiunt, etsi inveniantur strophae etiam pluribus distichis vel tristichis constantes.

a) Interdum diversitate personarum loquentium divisio in strophas indicatur, quemadmodum in Cant. 8. 8-10 (metrum 2 + 2) :

8 אֲחוֹת לָנוּ קְטַנָּה — וְשָׁדַיִם אֵין לָהּ
מַה־נַּעֲשֶׂה לַאֲחוֹתֵנוּ — בַּיּוֹם שֶׁיְּדֻבַּר־בָּהּ :

9 אִם־חוֹמָה הִיא נִבְנֶה — עָלֶיהָ טִירַת כָּסֶף
וְאִם־דֶּלֶת הִיא צָרָה — עָלֶיהָ לוּחַ אֶרֶז :

10 אֲנִי חוֹמָה — וְשָׁדַי מִגְדָּלוֹת
אָז הָיִיתִי בְעֵינָיו — כְּמוֹצֵאת שָׁלוֹם :

Eadem ratione distinguuntur strophae Cant. 1. 9-17. ubi quaelibet tribus constat distichis (3 + 2) :

9 לְסֻסָתִי בִרְכְבֵי פַרְעֹה — דִּמִּיתִיךְ רַעְיָתִי :
10 נָאווּ לְחָיַיִךְ בַּתֹּרִים — צַוָּארֵךְ בַּחֲרוּזִים :
11 תּוֹרֵי זָהָב נַעֲשֶׂה־לָּךְ — עִם נְקֻדּוֹת הַכָּסֶף :

12 עַד־שֶׁהַמֶּלֶךְ בִּמְסִבּוֹ — נִרְדִּי נָתַן רֵיחוֹ :
13 צְרוֹר הַמֹּר דּוֹדִי לִי — בֵּין שָׁדַי יָלִין :
14 אֶשְׁכֹּל הַכֹּפֶר דּוֹדִי לִי — בְּכַרְמֵי עֵין גֶּדִי :

15 חִנָּךְ יָפָה רַעְיָתִי עֵינַיִךְ יוֹנִים :
16 חִנָּךְ יָפֶה אַף־נָעִימָה עַרְשֵׂנוּ רַעֲנָנָה :
17 קֹרוֹת בָּתֵּינוּ אֲרָזִים רָהִיטֵנוּ בְרוֹתִים :

b) Ex argumento solo distinguere licet strophas ex. gr. Prov. 3, 1 ss. :

1 בְּנִי תוֹרָתִי אַל־תִּשְׁכָּח וּמִצְוֹתַי יִצֹּר לִבֶּךָ :
2 כִּי אֹרֶךְ יָמִים וּשְׁנוֹת חַיִּים וְשָׁלוֹם יוֹסִיפוּ לָךְ :

3 חֶסֶד וֶאֱמֶת אַל־יַעַזְבֻךָ קְשָׁרֵם עַל־גַּרְגְּרוֹתֶיךָ :
4 וּמְצָא־חֵן וְשֵׂכֶל טוֹב בְּעֵינֵי אֱלֹהִים וְאָדָם :

5 בְּטַח אֶל־יְהוָה בְּלִבֶּךָ וְאֶל בִּינָתְךָ אַל־תִּשָּׁעֵן :
6 בְּכָל־דְּרָכֶיךָ דָּעֵהוּ וְהוּא יְיַשֵּׁר אֹרְחֹתֶיךָ :

7 אַל־תְּהִי חָכָם בְּעֵינֶיךָ יְרָא אֶת־יְהוָה וְסוּר מֵרָע :
8 רְפָאוֹת תְּהִי לְבָשָׂרֶךָ וְשִׁקּוּי לְעַצְמוֹתֶיךָ :

Simili modo in Ps. 92 argumentum clare indicat divisionem in strophas :

2 טוֹב לְהֹדוֹת לַיהוָה וּלְזַמֵּר לְשִׁמְךָ עֶלְיוֹן :
3 לְהַגִּיד בַּבֹּקֶר חַסְדֶּךָ וֶאֱמוּנָתְךָ בַּלֵּילוֹת :
4 עֲלֵי־עָשׂוֹר וַעֲלֵי־נָבֶל עֲלֵי הִגָּיוֹן בְּכִנּוֹר :

5 כִּי שִׂמַּחְתַּנִי יְהוָה בְּפָעֳלֶךָ בְּמַעֲשֵׂי יָדֶיךָ אֲרַנֵּן :

6 מַה־גָּדְלוּ מַעֲשֶׂיךָ יְהוָה מְאֹד עָמְקוּ מַחְשְׁבֹתֶיךָ :

7 אִישׁ־בַּעַר לֹא יֵדָע וּכְסִיל לֹא־יָבִין אֶת־זֹאת :

8 בְּפָרֹחַ רְשָׁעִים כְּמוֹ־עֵשֶׂב וַיָּצִיצוּ כָּל־פֹּעֲלֵי אָוֶן
לְהִשָּׁמְדָם עֲדֵי־עַד :

9 וְאַתָּה מָרוֹם לְעֹלָם [יְהוָה][1] :

10 כִּי־הִנֵּה אֹיְבֶיךָ יְהוָה כִּי־הִנֵּה אֹיְבֶיךָ יֹאבֵדוּ יִתְפָּרְדוּ כָּל־פֹּעֲלֵי אָוֶן :

11 וַתָּרֶם כִּרְאֵים קַרְנִי בַּלֹּתַנִי בְּשֶׁמֶן רַעֲנָן :

12 וַתַּבֵּט עֵינִי בְּשׁוּרָרָי בַּמְּרֵעִים תִּשְׁמַעְנָה אָזְנָי :

13 צַדִּיק כַּתָּמָר יִפְרָח כְּאֶרֶז בַּלְּבָנוֹן יִשְׂגֶּה :

14 שְׁתוּלִים בְּבֵית יְהוָה בְּחַצְרוֹת אֱלֹהֵינוּ יַפְרִיחוּ :

15 עוֹד יְנוּבוּן בְּשֵׂיבָה דְּשֵׁנִים וְרַעֲנַנִּים יִהְיוּ :

16 לְהַגִּיד כִּי־יָשָׁר יְהוָה צוּרִי וְלֹא עַוְלָתָה בּוֹ :

c) In Psalmis finis strophae interdum ex voce *sela* (סֶלָה) cognoscitur, quae probabiliter pausam et locum interludii indicabat [2]. Quia enim huiusmodi pausa vel interludium non debebat separare cohaerentia, recte concludi potest, signum *sela* primitus solum in fine strophārum locum habuisse. Ita adhuc recte ponitur ex. gr. Ps. 3, 3. 5 ; Ps. 4, 3. 5 et alibi. At saepe incuria scribarum in

[1] Vox superabundans.

[2] Vide hac de re meum opus « Alttestamentliches » p. 139-157.

falsum locum positum fuit, ita ut ei hodie non nimia fides sit habenda.

d) Similiter versus intercalares (refrain) non nisi raro et praeterea valde imperfecte strophas indicant.

2. Responsio in poesi Hebraeorum non invenitur. Terminus iste technicus e literatura classica, dramate praesertim desumptus, relationem unius strophae ad aliam designat, qua scilicet una stropha (quae non est confundenda cum nostra stropha, sub 1 indicata) sententia, metro, numero versuum, immo partim iisdem similibusve saepius repetitis vocabulis (quod ultimum inclusio vocatur) alteri respondeat. Schema ita propositum est : Stropha, antistropha, stropha intermedia (ab aliis « alternans » appellata) et deinde iterum stropha et antistropha, quibus partibus harmonia quaedam sublimior in sermonibus manifestaretur.

Responsionem in Psalmis et in Prophetarum orationibus [1], in libro Job [2] et in Cantico Canticorum [3] adesse, plures auctores opinantur, in cassum quidem nec absque gravissimis erroribus in canticis sua methodo disponendis. Etenim

a) ut ad aequalem numerum « versuum », ut illi dicunt, in strophis perveniant, opponunt saepe stichum,

[1] D. H. Müller, Die Propheten in ihrer ursprünglichen Form, Wien 1896; J. K. Zenner S. J., Die Chorgesänge im Buche der Psalmen, Freiburg i. B. 1896; A. Condamin S. J., Le Livre d'Isaïe, Paris 1905.

[2] J. Hontheim S. J., Das Buch Job, Freiburg i. Br. 1904.

[3] J. Hontheim S. J., Das Hohelied, Freiburg i. Br. 1908.

immo interdum et unicam vocem [1], toti disticho [2], quod non licet, cum stichus et distichon non sint partes aequales.

b) Coniungunt partes et argumento et metro diversas [3].

c) Ut integrum poema, in quo responsionem suspicantur, uniformi suo schemati subigant, strophas ac antistrophas non eadem longitudine mensurant, sed plane diversa [4].

d) Saepe non considerant, illud quod stropham vel antistropham appellant, proprie iam plures strophas continere, in quas carmen naturaliter dividitur.

e) Non adest ratio, ob quam prophetae sermones suos, quos populo pronunciant vel scribunt, ita dividant, acsi a diversis choris cantari vel saltem recitari deberent.

3. Vi metricae et strophicae artis haud raro iudicium ferre possumus de textu bene vel male conservato. Stichi superabundantes, ergo contra vim strophicam, non erunt primitivi, sed insertiones recentiores, et ex altera parte aliquando verba a scribis collectoribusve omissa vel mutata fuisse suspicari licet. Similiter de vocibus unius eiusdemque stichi integre servatis iudicare licet ; quibus ad carminis schema quadrantibus stichus incorruptus censendus est, sin vero deest quid aut abundat, stichum male servatum supponere licebit.

[1] Ita ex. gr. Müller l. c. pag. 63 (« das Gilead »).

[2] Hoc saepissime apud Müller et Zenner locum habet.

[3] Ita omnes nominati auctores faciunt : in Psalmis, in Cantico Canticorum, apud Prophetas coniungunt res metro diversas.

[4] Sic Hontheim in suo Job habet schema : 1. stropha, 2. antistropha, 1. stropha intermedia, 2. stropha, 2. antistropha, 2. stropha intermedia, 1. pars tertiae strophae, 2. pars tertiae strophae, 1. pars tertiae antistrophae, 2. pars tertiae antistrophae.

In corrigendo tamen textu valde prudenter procedendum est, id quod obtinebimus praesertim

a) si correctionem nostram versionibus antiquis comprobamus ;

b) si textus parallelos tamquam testes adducere possumus ;

c) si signum Paseq adest, quo Masoretae indicabant corruptionem textus ;

d) si saltem explicamus modum, quo valde facile textus corrumpi poterat.

Stent hic aliquot exempla :

α) In primis capitibus libri Proverbiorum videmus bina disticha semper formare stropham et stichos esse trium accentuum : inde facile deducere poterimus, textum interdum non esse bene conservatum. Sic 1, 15a nunc habemus quatuor accentus in בְּנִי אַל־תֵּלֵךְ בְּדֶרֶךְ אִתָּם, quod est contra schema. Superabundans est hic vox בְּנִי, quam scribae apposuerunt in mente habentes frequentem repetitionem huius vocis in Proverbiis. Et comprobatur ex LXX, qui hoc בְּנִי in textu nondum habebant.

β) Prov. 1, 27 est stichus בְּבֹא עֲלֵיכֶם צָרָה וְצוּקָה ; superabundat et praeterea metro opponitur, cum 4 accentus contineat. Est textus parallelus a scribis appositus ad distichon bene formatum :

בְּבֹא כְשׁוֹאָה פַּחְדְּכֶם וְאֵידְכֶם כְּסוּפָה יֵאֵתֶה :

γ) Prov. 1, 30 primus stichus לֹא־אָבוּ לְעֲצָתִי nunc non fert nisi duos accentus, ergo corrigendus est, quod hic fieri potest, quin sensus mutetur, legendo initio כִּי תַחַת.

Distichon praecedens sc. ita incipit, et scriba videns תַּחַת כִּי semel scriptum, omisit illud repetere.

δ) Prov. 3, 3 legimus verba כָּתְבֵם עַל־לוּחַ לִבֶּךָ, metrice quidem bene formata, sed strophice superabundantia ; ergo sunt hic eiicienda. Revera LXX illa verba hoc loco non legebant ; aliquis scriba ea primum in margine notavit ut parallela ad קָשְׁרֵם עַל־גַּרְגְּרוֹתֶיךָ, et deinde transierunt in ipsum textum. Sunt autem desumpta ex Prov. 7, 3, ibique sunt necessaria ad formandum distichon.

ε) Prov. 3, 18 secundus stichus nunc nonnisi duos accentus fert וְתֹמְכֶיהָ מְאֻשָּׁר, ergo deest aliqua vox. Ego insero הֵם, quod facile excidere potuit, cum prima vox per ה claudatur et altera per מ incipiat ; lego igitur, quin sensus notabiliter mutetur : וְתֹמְכֶיהָ הֵם מְאֻשָּׁר.

ζ) Prov. 3, 33-35 sunt tria disticha. Res est contra vim strophicam, cum ad duas strophas formandas requiratur adhuc unum distichon ; si autem una stropha est, unum distichon est superabundans. Quid ergo faciendum ? Non est addendum distichon, sed unum ex existentibus potius est eliminandum, quod hic incuria scribarum fuit insertum ex margine. De facto metrum distichi in v. 34, quod est 2 + 2, non quadrat (deberet esse 3 + 3) ; quapropter iudicandum est, verba

אִם־לַלֵּצִים הוּא־יָלִיץ וְלַעֲנָוִים יִתֶּן־חֵן׃

ex margine erronee transiisse in textum.

η) Is. 16, 5 legitur stropha constans duobus distichis cum accentu 3 + 3, sc.

5 וְהוּכַן בְּחֶסֶד כִּסֵּא וְיֵשֵׁב עָלָיו בֶּאֱמֶת
בְּאֹהֶל דָּוִד שֹׁפֵט וְדֹרֵשׁ מִשְׁפָּט וּמְהַר צֶדֶק :

Est oraculum messianum. Cum tamen in toto illo oraculo contra Moab (5, 1-16, 12) sit metrum 3 + 2, versus 16, 5 debet aliunde esse insertus.

θ) Prov. 3, 23 secundus stichus, contra schema, est nunc duorum tantum accentuum, sc. וְרַגְלְךָ לֹא תִגּוֹף. Verba haec occurrunt etiam in Ps. 91, 12, sed cum בְּאֶבֶן, quod bene quadrat. Lege igitur etiam in hoc textu Proverbiorum : וְרַגְלְךָ בָּאֶבֶן לֹא תִגּוֹף .

ι) In Ps. 19 cognoscimus ex metro, versum 15. esse appendicem ; habet enim metrum 3 + 3 + 3, cum e contra pars praecedens (laus legis) metrum 3 + 2 observet :

8 תּוֹרַת יְהוָה תְּמִימָה מְשִׁיבַת נָפֶשׁ
עֵדוּת יְהוָה נֶאֱמָנָה מַחְכִּימַת פֶּתִי :

9 פִּקּוּדֵי יְהוָה יְשָׁרִים מְשַׂמְּחֵי לֵבָב
מִצְוַת יְהוָה בָּרָה מְאִירַת עֵינָיִם :

10 יִרְאַת יְהוָה טְהוֹרָה עוֹמֶדֶת לָעַד
מִשְׁפְּטֵי יְהוָה אֱמֶת צָדְקוּ יַחְדָּו :

11 הַנֶּחֱמָדִים מִזָּהָב וּמִפַּז רָב
וּמְתוּקִים מִדְּבַשׁ וְנֹפֶת צוּפִים :

12 גַּם־עַבְדְּךָ נִזְהָר בָּהֶם בְּשָׁמְרָם עֵקֶב רָב :

13 שְׁגִיאוֹת מִי יָבִין מִנִּסְתָּרוֹת נַקֵּנִי :

14 גַּם מִזֵּדִים חְשֹׂךְ עַבְדֶּךָ אַל־יִמְשְׁלוּ־בִי
אָז אֵיתָם וְנִקֵּיתִי מִפֶּשַׁע רָב :

15 [וְהִיוּ לְרָצוֹן אִמְרֵי־פִי יֶהֱגְיוֹן לִבִּי לְפָנֶיךָ

יְהוָה צוּרִי וְגֹאֲלִי :]

V.

Reliqua artificia poesis Hebraeorum.

1. Versuum clausulae inter se consonantes (Reim) a poetis intentae aliquando inveniuntur, sed non sunt frequentes. Cf. ex. gr. Ecclen 10, 11 :

אִם־יִשֹּׁךְ הַנָּחָשׁ בְּלוֹא לָחַשׁ
וְאֵין יִתְרוֹן לְבַעַל הַלָּשׁוֹן :

Eccles 11, 9 :

שְׂמַח בָּחוּר בְּיַלְדוּתֶךָ וְיִטַב לִבְּךָ בִּבְחוּרוֹתֶיךָ
וְהַלֵּךְ בִּדְרָכֵי לִבֶּךָ וּבְמַרְאֵי עֵינֶיךָ :

Jud. 14, 18 :

לוּלֵא חֲרַשְׁתֶּם בְּעֶגְלָתִי לֹא מְצָאתֶם חִידָתִי :

Jud. 16, 24 :

נָתַן אֱלֹהֵינוּ בְּיָדֵנוּ אֶת־אוֹיְבֵנוּ
אֵת מַחֲרִיב אַרְצֵנוּ אֲשֶׁר הִרְבָּה אֶת־חֲלָלֵינוּ :

Gen. 49, 11 :

אֹסְרִי לַגֶּפֶן עִירֹה וְלַשֹּׂרֵקָה בְּנִי אֲתֹנוֹ
כִּבֵּס בַּיַּיִן לְבֻשׁוֹ וּבְדַם־עֲנָבִים סוּתֹה :

1 Sam. 18, 7 :

הִכָּה שָׁאוּל בַּאֲלָפָיו וְדָוִד בִּרְבָבֹתָיו :

Per longiorem seriem distichorum observatur hoc artificium in laude maiorum apud Ecclum 44, 1-14 et in Ps. 54.

2. Acrostichon. Inveniuntur carmina alphabetica ita composita, ut aut stichorum aut distichorum literae initiales secundum ordinem alphabeti dispositae totam seriem literarum exhibeant.

Singuli stichi nova litera alphabeti incipiunt in Ps. 111 et 112. Singula disticha in Ps. 25. 34. 145 ; Prov. 31, 10-31 ; singulae strophae in Ps. 9 et 10 (proprie unum psalmum formante), in Ps. 37 ; Thr. 1. 2. 4. In Ps. 116 initiales ita sunt dispositae, ut quâlibet litera alphabeti 8 disticha incipiant, et in Thr. cap. 3. semper tria disticha eandem literam alphabeti initio habent.

3. Versus intercalares (refrain) praesertim in psalmis frequenter inveniuntur ita, ut unus stichus aut unum distichon aut tota stropha repetatur. Compara Ps. 39, 6c. 12c ; Ps. 42, 6. 12 et Ps. 43, 5 ; Ps. 46, 8. 12 ;

Ps. 49, 13. 21 ; Ps. 56, 5. 11 s. ; Ps. 57, 6. 12 ; Ps. 59, 7. 15 et 10. 18 ; Ps. 62, 2 s. 6 s. ; Ps. 67, 4. 6 ; Ps. 80, 4. 8. 20 : Ps. 87, 4^{c}. 6^{c} ; Ps. 99, 5. 9 ; Ps. 107, 6. 13. 19. 28 et 8. 15. 21. 31 ; Ps. 116, 13^{b}-14. 17^{b}-18. In Psalmo 136. habentur 26 disticha et secunda pars distichi sonat semper כִּי לְעוֹלָם חַסְדּוֹ, ita ut psalmus speciem habeat nostrarum litaniarum.

4. Alliteratio. Cf. Is. 14, 22 :

וְהִכְרַתִּי לְבָבֶל שֵׁם וּשְׁאָר וְנִין וָנֶכֶד :

5. Paronomasia. Cf. Is. 5, 7 :

וַיְקַו לַ(עֲשׂוֹת) מִשְׁפָּט וְהִנֵּה מִשְׂפָּה
(וַיְקַו) לַ(עֲשׂוֹת) צְדָקָה וְהִנֵּה צְעָקָה :

Is. 10, 30 :

צַהֲלִי קוֹלֵךְ בַּת־גַּלִּים
הַמְשֻׁבִי לַיְשָׁה עֲנִיָּה עֲנָתוֹת :

Soph. 2, 4 : וְעֶקְרוֹן תֵּעָקֵר ; Is. 1, 23 : שָׂרַיִךְ סֹרְרִים ;
Is. 11, 16 : שְׁאָר אֲשֶׁר יִשְׁאַר מֵאַשּׁוּר

Mich. 1, 10 tres paronomasiae simul occurrunt (cum tamen textus ille nunc ex parte corrigatur ab exegetis, et quidem diversis modis, eum hic omittimus).

6. Onomatopoeia. Cf. imitationem strepitus ignis per sibilantes in Is. 5, 24 :

לָכֵן כֶּאֱכֹל קַשׁ לְשׁוֹן אֵשׁ וַחֲשַׁשׁ לֶהָבָה יִרְפֶּה
שָׁרְשָׁם כְּמָק יִהְיֶה וּפִרְחָם כָּאָבָק יַעֲלֶה :

INDEX.

		Pag.
I.	Usus poesis apud Hebraeos	5-26
II.	Leges metricae Hebraeorum	26-32
III.	Schemata metri hebraici	32-35
IV.	Strophae	35-44
V.	Reliqua artificia poesis Hebraeorum . . .	44-46

Friburgi Helvetiorum. — Typis Consociationis Sancti Pauli.

25161 492.46
Z 17
25
AUTHOR
Zapletal
TITLE
De Poesi Hedraeorum
GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
2400 RIDGE ROAD
BERKELEY, CA 94709